

Cap. XXVIII. De robaria a quadraginta denariis superius et pena robatorum.

Prohibemus quod nullus sit ausus in civitate¹⁾ vel in districtu Tergesti facere aliquam robariam a quadraginta den. superius, et si quis fecerit suspendatur per gulam ita quod moriatur. ¶ Et si quis fecerit robariam a quadraginta den. inferius usque ad viginti denarios, puniatur in membro vel in menbris in discretione dominii; a viginti vero den. inferius, si quis fecerit, puniatur in pecunia in libertate dominii; et dominium quod pro tempore fuerit debeat et teneatur procedere contra quamlibet personam que robariam fecerit etiam extra districtum Tergesti, videlicet a Lisonço et Waltis citra, tamquam si ipsam robariam fecisset in civitate Tergesti, si querela pervenerit ad dominium per lesum vel eius procuratorem. ¶ Salvo quod, si quis acceperit aliquid in vera pergueram seu per pignoram, illud tale sic acceptum non intelligatur esse robaria vel furtum.

Cap. XXX. De acceptatoribus furti vel robarie et de presentantibus fures vel robatores.

137 A **H**ac nostra sancione provisum est quod quicumque furtum aut robariam scienter acceperint // sive receperint, et hoc fuerit manifeste repertum, vel convictus fuerit per testes aut confessus fuerit, talis receptor furtorum prout fur puniri debeat, et talis receptor robarie prout robator puniri debeat. ¶ Preterea si qua persona fecerit aliquam robariam super stratas vel in alio loco districtus Tergesti vel diocesis, et aliqua persona una vel plures caperent tales robatores unum²⁾ vel plures, et presentarent tales robatores unum vel plures dominio Tergesti, quod tales presentantes dictos tales robatores unum vel plures habeant arma et equos ipsius depredatoris unius vel plurium, et quinquaginta libr. par. de camera comunis pro quolibet depredatore presentato, incontinenti cum eum vel eos

¹⁾ aggiunta marginale.

²⁾ unum-robatores aggiunta marginale.